



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Arbor Vitæ Sive Vita Et Doctrina Christi**

Ex Quatuor Evangeliiis In Meditationes Quotidianas Velvti Totidem Ramos  
Distributa

**Illsung, Jakob**

**Dilingæ, 1693**

Meditatio CCCIII. Filia Mulieris Syrophænisæ à dæmone liberatur.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-60727](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-60727)

PUNCT. III. *Tunc accedentes Discipuli, dixerunt Scis, quia Pharisei audito verbo hoc scandalizati sunt.* Ille respondens, ait: *Omnis plantatio, quam non plantavit Pater meus Caelestis, eradicabitur. Sinite illos, cecum & duces caecorum; cecus autem, si ceco ducatum praestet, ambo in foveam cadunt.* Matth. 15. v. 13. Itaque quae iudicia humana, quando non sunt conformia Divinae Regulæ, sed sicut Zizania in bono semine, à Deo improbantur, minimè curanda sunt; ideo tunc necessarium non est, ut sit scandalum, nec offensa hominum, nec sinistri sermones, nec quidquam aliud timendum est. Sic Paulus dixit 1. Cor. 4. v. 3. *Mihi autem pro minimo est, ut à vobis iudicer.* Et ad Gal. 1. v. 10. *Si adhuc hominibus placere Christi Servus non essem.*

## MEDITATIO CCCIII.

*Filia Mulieris Syrophænissæ à demonio liberatur.* Matth. 15. v. 21. Marc. 7. v. 24.

PUNCTUM I. *Et egressus inde (ex Galilæa, ut decerneret iras, & odia Scribarum, & Phariseorum, propter præcedentem Doctrinam concepta) Secessit in partes Tyri & Sidonis. Et ecce mulier Chanaanæ (Nomen quòd fuerit ex Cana Galilææ, sed quòd fuerit ortum à illis posteris Chanaan, qui habitabant in Phœnicia Syriæ, ubi erant urbes Tyrus & Sidon, ideoque S. Marco c. 7. v. 26. dicitur Syrophænissæ genere) finibus illis egressa clamavit, dicens ei: Miserere mei Domine, Fili David.* Matth. 15. v. 21. *At illa venit, & adoravit eum, dicens: Domine adjuva me.* v. 25. *Ecce mulier ista*

ista afflictionem filiae pro sua habuit, & Beneficium filiae praestandum, suum censuit. Ita Proximum diligere debemus, & ejus sive adversa, sive prospera pro nostris reputare; ob illa condolere, auxilium & patrocinium praestare; ob ista verò congaudere, & gratulari.

PUNCT. II. *Filia mea malè à demonio vexatur.*  
 v. 22. Vexamur à dæmonio, quando importunis tentationibus ab illo impetimur, praesertim contra Castitatem; ideo S. Marcus v. 25. *Spiritum immundum dixit.* Tunc ergo Divinum Auxilium implorandum, ut vel liberemur à tentatione, vel praeservemur à lapsu: ideo indifferenter dicendum: *Miserere mei, Domine adjuva me.* Et quodvis eorum sufficiat nobis; nam saepe prodest, nos à tentatione non liberari. Sic S. Paulus 2. Cor. 12. v. 7. scribit de seipso: *Ne magnitudo Revelationum extollat me, datus est mihi stimulus carnis meae, Angelus Satanae, qui me colaphizet.* Propter quod ter Dominum rogavi, ut discederet à me: & dixit mihi: *sufficit tibi Gratia mea: nam Virtus in infirmitate perficitur.*

PUNCT. III. Considera imitandam Constantiam & Humilitatem supplicis Mulieris erga Christum: *Qui non respondit ei verbum.* v. 23. Et deinde: *Ipsè autem respondens ait: Non sum missus, nisi ad oves, quae perierunt Domus Israël* v. 24. *Non est bonum sumere panem Filiorum, & mittere canibus.* v. 26. Ipsa tamen mulier, neque responsi dilatione, neque ejusdem asperitate mota, nec rogare, nec humiliare se destitit, dicens: *Domine adjuva me: Nam & catelli edunt de micis, quae cadunt de mensa dominorum suorum.* v. 27. Vide nunc efficaciam constantis & humilis Orationis: *Respondens JESVS*

ait illi: *O mulier, magna est Fides tua: fiat tibi, sicut vis.* *ait: mare*  
*re G*  
*runt*  
*dos,*  
*ius,*  
*rare*  
*Perf*  
*à pr*  
*anin*  
*re.*  
*telli*  
*hab*  
*pro*  
*Cor*  
*anir*  
*Chr*  
*ad C*  
*Chr*  
*pon*  
*pon*  
*tes*  
*depr*  
*den*  
*ius,*  
*inge*  
*tim*  
*ejus*  
*dur*  
*tæ.*

sanata est filia ejus ex illa hora. Ecce quanto melius mulieri, non statim fuisse exauditam; ut sic magis sponeretur ad impetrandum Beneficium Confidentia, Humilitate, Fiducia, &c. Observa etiam, quod licet hæc mulier fuerit orta ex maledicta stirpe, quod Daniel c. 13. v. 56. impudico seni olim objecit, dicens *Semen Chanaan, & non Juda, species decepit te:* licet etiam teste Marco, fuerit Gentilis; ipsa tamen exemplo docuerit nos, indignitatem, ut Oratio nostra exaudiatur, non debere nobis esse causam alicujus infirmitatis, sed potius Humilitatis, & Fidei, quod DEVS ad suam Misericordiam magis demonstrandam non obstante nostra indignitate, sit daturus, quod quid illum sumus rogaturi; modò, sicut Mulier prius de infidelitate sua est conversa ad veram Fidem in Christum (quem proinde Filium David profitentur) & animo contrita ac humiliata est; ita etiam nos à peccatis nostris desistamus, & ex illis majori Humilitatis ac Confidentia in Divinam Misericordiam occasionem sumamus. Et propterea Christus Mulieri generalibus verbis dixit: *Fiat tibi, sicut vis.* et pateret, non tantum ad sanitatem filia, sed ad quod vis aliud impetrandum valere Orationem, Humilitate, Fiducia, Perseverantia, vitæ emendationem etiam.

## MEDITATIO CCCIV.

*Plures infirmi à variis languoribus*

*sanantur. Matth. 15. v. 29. Marc. 7. v. 31.*

**P**UNCTUM I. *Et cum transisset inde JESVS (Marc.*